


mi sunt, qui à temperantia ad defectum, videlicet stupiditatem, declinant, quæ etiam honestarum voluptatum est contemptus & fastidium. Refert Sozomenus lib. 6. cap. 34. de quodam Bathæo Monacho, quòd tam frequenter jejunaverit, ut ex ejus dentibus vermiculi scaturirent; ZWingerus in theatro vitæ humanæ. Pertinax Augustus convivis suis fertur apposuisse dimidiatas lactucas & dimidiatos carduos, ut scribit Volaterranus lib. 23. Anthropol. & Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21. Huc referri possunt exempla eorum, qui se ipsos fame enecârunt, item qui sordidi sunt in victu. Sed, ut diximus, rarum est hoc vitium.



Cap. VIII. De Castitate.

**C**astitas est virtus moralis, quæ regit appetitum generativum in Venere.

S C H O L. Castitas vulgò etiam Temperantia dicitur, videlicet appellatione generis. Nos verò Castitatem ponimus tanquam distinctam speciem Temperantiæ, unicuique tamen ut & in aliis suum iudicium liberum relinquentes. Germ. Keuschheit. Nomen autem *castus* volunt dictum quasi *καυτός*, quòd castus is sit, in quo omnis prava libido exusta & extincta est. Definitur aliàs Castitas ab omni illegitimo coitu puritas; Danæus in Ethica Christ. lib. 3. cap. 4. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, eam etiam foeminam censet castam esse dicendam, quæ corpore polluta est, sed invita & contra voluntatem. Danæus ibid. Hac ratione Lucretia à Tarquinio superbo vi stuprata casta mansisset. Est que hæc sententia verisimilis, si quidem ad ejusmodi stuprationem nullus accedit consensus, ac proinde animus manet impollutus. Statuitur autem castitas triplex: maritalis, quæ in conjugio servari debet à conjugibus; vidualis, quæ à viduis; & virginalis quæ à virgine. Egregium exemplum castitatis habemus in Jose-

*Exem*  
*Triples sta*  
*tus Casti*  
*tas*

- 1.
- 2.
- 3.